



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De illis qui in dominico die nupserint. clvii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI. EPIS. VVORMAC.

De femina quæ spontè filium suum occiderit.

Caput CLVI.

SI mater filium suum spontè occiderit, quindecim annos pœniteat, & nunquam mutet, nisi die dominica. Mulier autem pauperula si fecerit pro difficultate nutriendi, septem annos pœniteat.

De illis qui in dominico die nupserint. Cap. CLVII.

Ex cõcil. Triburiẽ si, cap. 51 **S**I quis nupserit die dominico, petat à Deo indulgẽtiam, & quatuor dies pœniteat.

De illis qui confessa iterant. Cap. CLVIII.

Ex cõcil. Tolata. **E**A quæ frequenti præuaricatione iterantur, frequenter & sententia condemnantur.

De pœnitentia fidelium, vt confessio eorum non publicè fiat, sed priuatim. CLIX.

Ex epist. Leonis papa, cap. 2. **I**llam etiam contra apostolicam regulam præsumptionem quam nuper agnoui à quibusdam illicita usurpatione comitti, modis omnibus constituo submoueri, de pœnitentia scilicet, quæ à fidelibus postulatur: ne de singulorum peccatorum genere, libellis scripta professio publicè recitetur. Conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non vereatur: tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, vt ea qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, amoueatur improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis facta referuari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio quæ primùm domino fertur, tunc etiam sacerdoti qui pro delictis pœnitentium precatior accedit: tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.

FINIS Libri Deciminoni.